15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ONGÆVITATE

EX

ANIMI MODERAMINE,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

N. D. MICHAELE ALBERTI,

CR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

MMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. NOVEMBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

LEBRECHT AUGUSTUS SACHSE,

COTHENA-ANHALTINUS.

IALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30776831

PROOEMIUM.

AMor vitæ ex parte naturalis eſt; vera meditatio mortis ſpiritualis exiſtit; utraque & æſtimatio vitæ & conſideratio mortis bene conciliari debet: neque quidem aliqualis mortis cogitatio omnigenam naturalium virium ſenſusque naturalis uſum excludit, hinc ipſi gentiles vitæ & mortis ſedulam diſquiſitionem commendarunt: ita enim *Seneca lib. 3. de ira c. 42.* eloquitur *nec ulla res magis proderit, quam cogitatio mortalitatis* & in *lib. de Tranquill. c. 11. male vivit, quiſque neſciet bene mori, lib. de brevit. vitæ c. 7. vivere tota vita diſcendum eſt, & quod magis fortaſſe miraberis, tota vita diſcendum eſt mori,* ut & *ep. 70. Cogita ſemper qualis vita, non quanta ſit:* Quam multi vero in hac mortalitate inveniuntur, qui minus juſto affectu & judicio vitam amant, mortem viciſſim odiunt, qui

 anxia

anxia meditatione media ad longam vitam pertingendi, mortemque intercipiendi, inquirunt & optant, qui ipſi vero hoc angore, hac ſollicitudine & ſcrupuloſa æſtimatione mortem accelerant; hinc huc quadrat, quod S. Codex exprimit, *homines inimicos habent ſuos domeſticos Matth. X. 36:* tales domeſtici ex parte ſunt *immoderati affectus animi*, voluptates, cupiditates, illecebræ: quare cum *Petronio arbitro in Satyr. p. 110.* eloquimur *Scias non longe eſſe quærentibus mortem:* ita enim immoderata animi conſtitutio lædit ſanitatem, deſtruit vitam, invitat præmaturam mortem, ſicque exoptatiſſimam longævitatem intercipit; *fieri* enim *non poteſt, ut animo male affecto, non corpus etiam una laboret* dixit *Cicero ap. Dion. Caſſ. lib. 38.* ob id Eccleſiaſtes *Syrac. XXX. 23. monet: dilige animam tuam & conſolare cor tuum & dolorem longinquum conſtitue a te: multos enim occidit dolor & non eſt utilitas in eo;* ſive ut *Vinarienſes commentatores* illuſtrant & explicant: ein frölich Hertz iſt des Menſchen Leben, (dadurch derſelbe erhalten und verlängert wird) und ſeine Freude iſt ſein langes Leben (je weniger Bekümmerniß, je weniger Verzehrung der Leibes-Kräffte, und hilfft alſo ein frölicher Muth zum langen Leben) *lætitia cordis eſt vita hominis & exultatio viri longi dies v. 22.* Eximium itaque refert hoc commercium animi cum ſanitate & vita intelligere, ut ex bona illius moderatione hæc firma & durabilis evadat: qui enim tantum *corporis curam habet ſua quidem, non ſe ipſum curat* dixit *Socrates ap. Platon. Alcibiad. I. p. 447.* quam

ob

ob rem *ſicut vita perpetua in virtute eſt, ita mors in voluptate Lactantius Lib. 6. c. 21.* quid quod ipſa *virtus ſanitas eſt, pulchritudo & bona animi conſtitutio, referente Platone lib. 4. de republ.* Si itaque juxta *Valeſium lib. de Sacr. philoſ. c. 75. medicinæ pars etiam philoſophia morum eſt*, ſi ſecundum *Apollonium ep. 23. medendi facultas maxime cœleſtis eſt, unde animæ cum corpore ſimul ratio habenda*, ſi juxta *Plinium lib. 14. præf. Voluptas eſt, ubi vivere incipit, vita eſt, ubi voluptas deſinit*, ſi juxta *Wilhelmum Temple in opuſculis poſthumis (conſ. Act. Erud. Lipſ. An. 1705. Menſ. Januar. p. 41.) abſtinentia a voluptatibus cauſa longævitatis eſt*, ſi ſecundum *Platonem in Cratillo medici munus eſt corporis animique puritatem ſervare (conſ. Caſp. Rejes. in Camp. Elyſ. quæſt. juc. qu. 2. n. 21.* ſub titulo: *medicina citra animum plurima præſtare valet)* ſi ſecundum *Iſidorum Peluſianum Lib. 3. ep. 377. ille victor haud vocandus eſt, qui externos barbaros vincit, ſed qui inteſtinum voluptatum bellum conficit*, ita eo maxime prudens medicus officioſam ſuam curam dirigere debet, quo moderamine Animi Sanitatis & vitæ naturalis integritatem & durationem ſublevet, ne dum per alia adminicula utriusque firmitas intenditur, animus majora & efficaciora impedimenta objiciat: & dum cauſæ, ſanitati atque vitæ inſervientes, uariæ ſunt, & ab extra & intra concurſant, ita non ſufficit uni aut alteri obtemperare ejusque juſtam directionem admittere, ſed ſingulas curatius obſervare convenit; qui enim tranquillitati animi ſtudere ſolent, neque temperantiam in victu & potu, motu & quiete, ut & regimine re-

 liquo

liquo ſervant, illi ſua mentis moderatione ſola ad Longævitatem haud facile pervenient: quam ob rem in ejusmodi cauſis & adminiculis juſtus ordo, nexus & uſus annotari debet: Quam magna enim animi vis eſt in corpore & in corpus humanum, innumera comprobant teſtimonia, ut contra ſenſus & rationem ſanam pugnare videatur, qui aliter judicare mallet: ita enim negari non poteſt, quod anima rationalis & immaterialis nervos, tendines, ligamenta, muſculos, tunicas, oſſa &c. movere poſſit, adeoque ſpiritus in materiam operari, hancque motibus inſtruere queat; quod porro anima tales ſui corporis partes juſtis motuum gradibus afficiat, & de hac modificatione, immiſſione motus in materiam ſpecialiſſime non ſit conſcia ſibi, quod anima eadem, tales motus in corpore exerceat, aliquando citra voluntatem, hiſce motibus neque attenta neque illorum conſcia; quod porro talis actio animæ in corpus ſit promptiſſima maximeque ſubitanea; quod vero eadem anima in omnibus ſuis operationibus multis erroribus obnoxia exiſtat, (ut *Pindarus olymp. ad VII. ſtr. 2.* cecinit: *Circa hominum mentes errores innumeri pendent*) ut ſummis erroribus ille immerſus ſit, qui tam innocentem, puram & perfectam ſomniaverit animam; quam ob rem operationes ſuperiores & digniores animæ, videlicet mentales & morales, multis erroribus ſæpe circumducuntur, obſcurantur & bono ac ſalutari ſcopo deſtituuntur; idem contingit cum actionibus animæ inferioribus & indignioribus

corpus

corpus videlicet & vitam animalem concernentibus, in quibus non pauci etiam errores ſuccedere poſſunt & ſolent: unde illi qui naturæ errores medicos deridere volunt, deplorandi & commiſeratione digni ſunt, dum manifeſtiſſimam veritatem, talpæ inſtar cœciores tenaci moroſa repugnantia agnoſcere nolunt: Quantam porro æſtimationem & celebritatem animi continentia, moderatio, quies & tranquillitas teneat, longa commemoratione haud indiget, dum ille manifeſtus character eſt animi corporisve ſani, & hujus tanto magis, ſi continentia animi cum reliquis cauſis ſanitatis bonæ & vitæ longæ pulchrum conſenſum ſervat: quare omni occaſione impetuoſæ & voluptuoſæ, imo reliquæ immoderatæ animæ operationes coercendæ ſunt, ſiquidem huc etiam quadrat effatum *Plinii lib. 1. epiſt. 8. oculorum & aurium voluptates adeo non egent commendatione, ut non tam incitari debeant oratione, quam reprimi.* In hujus moderaminis promotione & commendatione non æque neceſſarium eſt, ut ſecundum *Galenum lib. 1. de tuenda ſanitate* corpori tantum ſerviat, quando profitetur: *ut aliquis in longiſſimum prolata vita, etiam bona valetudine perpetuo utatur, is liber oportet ſit, ab omni negotio publico, nimirum ſibi vivens duntaxat, ſolique indulgens corpuſculo &c.* ne quis itaque in ullo extremo peccet, utile & neceſſe utique eſt ut paulo clarius indicetur, quod animi tranquillitas multum conferat ad ſanitatem vegetam & vitam longam: hanc meditationem hoc inaugurali ſpecimine ſelegimus quare LONGÆVITATEM

EX

EX ANIMI MODERAMINE ſuccincta quadam explicatione indicabimus & commendabimus: huic propoſito ut benigniſſimus & Summus animi & actionum noſtrarum moderator cœleſti gratia adſiſtat, eſt quod in limine rogamus.

§. I.

DUm in *titulo* præſentis meditationis, nulla *obſcuritas*, *ambiguitas* & *difficultas* hæret, ita non *verbis* immutandis operam dabimus, ſed brevi & perſpicua propoſitione ex *diſp. D. D. Præſidis de mente ſana in corpore ſano*, (*ſecundum Juvenalem Satyr. X. v. 354.*) *de morum & morborum conſenſu* huc referimus nonnullas obſervationes & demonſtrationes, quæ *proprie genuine* & *eſſentialiter* ad *hominem* ſpectant, quæ non *præſumuntur*, per *imaginationem* non ſupponuntur, per lepidas *aſſimilationes* non corraduntur, neque quaquaverſum *confuſo* modo congeruntur, ſed quæ citra ullam contradictionem *infallibili* quadam veritate ad *hominem* pertinent: Eſt itaque anima principium *activum* & negotioſum, *mentalibus* præcipue actionibus operoſum, in hiſce functionibus aliquando *plane quietum*, velut ſub placido & *profundo* ſomno, ubi ſæpe nocturna deſunt *inſomnia*; nonnunquam has operationes *ægre*, *tarde* & *ſegniter* adeoque *defective*, quandoque *inordinate* & *confuſe*, interdum *impetuoſe*, ſtrenue & *exceſſive*, aliquando etiam *moderate* & *proportinate* adminiſtrat, prout videlicet *vires perſonales* & *individuales* legitime permittunt, *fines* actionum requirunt & *methodi* perficiendarum talium operationum poſtulant: In hac *ultima* qualitate adminiſtrata officia, complectuntur *moderamen*, dum neque animam offendunt & *turbant*, nec ipſius actus *proſperum*

&

& ſalutarem *ſucceſſum* & decurſum *pervertunt:* Dum porro anima illa *ordinarias* ſuas operationes perficit, ſatis ſæpe etiam peculiares rerum, circa quas verſatur, *æſtimationes* & paulo *vegetiores* proſecutiones conjungit, hinc *ſpeciales mores* functionibus ſuis *intermiſcet*, quos nunc *lenius*, alibi *fortius*, nunc *moderatius*, alibi *intenſius* exercere poteſt & ſolet; hinc in *morum* adminiſtratione & applicatione perinde *moderamen* ſervare poteſt; denique illa ipſa *anima* in operationibus ſuis *conſuetis* & *ſingularibus* inſuper *moribus peculiares* fines *intenſiori* æſtimatione & adhuc *fortiori* activitate & *præcipitato* utplurimum judicio proſequi valet, ut in ſic dictos *affectus* animi, ſive *pathemata* ſive patheticas commotiones tranſeat, in quibus aliquando *plane erroneè* & perverſe agit, adeoque ex *oppoſito* peccat, dum *tales* motus inſtituit, qui ſecundum *omnes* reſpectus *inutiles* ſunt; interdum *aliquos* affectus movet, promovetque, ſed in *modo* & *gradu* aberrat, ut iterum *moderamine* opus fuiſſet: Si itaque in talibus negotiis mediocritatem ſervat, quæ *individualibus* ſubjecti & *peculiaribus* actus & finis adminiſtrandi & obtinendi reſpectibus quadrant, tunc *moderamen* illa anima obſervat; Sed dum *mores* hominum evidentem *nexum* cum œconomia *vitali* habent, aperto *temperamentorum* teſtimonio; dum etiam *affectus animi* cum eadem *ſanitatis* & *vitæ* conditione cohærent & conſentiunt, id quod nullus, *ſana* mente præditus, homo negare poteſt; dum *quotidiana*, ſimpliciſſimorum etiam hominum *ſenſus* afficientia, ſpecimina illuceſcunt, ut ſingulæ hæ obſervationes *abſolute* veræ & *infallibiles* exiſtant, ita in hac etiam conſideratione *moderamen* utique animi neceſſarium erit, ne *ſanitas* & *vita præmature* deſtruantur: Dum porro *continentia* & *incontinentia* Morum & Affectuum aut ſanitati & vitæ *officit*, aut *proficit*, ſecundum *omnium*, quibus hæ obſervationes *cognitæ* ſunt,

B teſti-

teſtimonium & aſſenſum, ita denuo manifeſtum eſt, quod *moderatio* animi maxime in directorio ſanitatis & vitæ neceſſaria exiſtat: dum etiam Affectus animi cito corpus *alterare* ſolent, proinde non *ſimplices*, ſed *multiplices* & complicatas alterationes cauſantur, neque *leves*, aut *lenes*, ſed *ſtrenuas*, potentes, maxime efficaces offenſiones provocant, id quod omnibus attentis medicis abunde cognitum eſt, ita facile iterum liquet, quantæ *neceſſitatis* & *utilitatis* hoc *moderamen* animi exiſtat, ne ſanitas & vita vim patiantur facileque ſuccumbant: imo ratum & *confirmatum* eſt, quod *conſuetæ* mentis operationes, ultra *individualem* vim & capacitatem intenſius adminiſtratæ, velut cogitationes & meditationes *operoſiores* & diuturniores, enervent *corpus*, turbent *concoctionem*, pervertant *ſe* & *excretiones*, impediant *nutritionem*, confundant *ſomnum*, adeoque variis modis ſanitati & vitæ *incommoda* faceſſant, id quod de *ordinariis* moribus etiam per *communem* conſenſum valet, quando paulo *immoderatius* exercentur, tanto magis vero de *impetuoſis* animi pathematibus; ut ita *infallibilia* conſtent ſpecimina & documenta, quibus commercium *animi* cum *corpore*, non modo in *voluntariis*, ſed & in aliis, œconomiam vitalem attinentibus functionibus, ad omnium confeſſionem & conſenſum in *ſimpliciſſimos* ſenſus incidens, demonſtratur; quæ luce meridiana clara & *infallibilis* veritas, nulla alia lepida ſpeculatione negari & infrigi poteſt:

§. II.

Hæc veritas, quod ſanitas animæ, ſive *moderamen animi*, corpori multam utilitatem afferat, multis *teſtimoniis* & ſuffragiis roborari poteſt; *pauca* tamen hoc loco proponemus: *Cicero ad familiares Lib. 15. ep. 14.* dicit: *opus eſt te anima valere, ut corpore poſſis:* quare antiqui, *Philoſophos* præcipue & quidem *illos*, qui *continentia*

tia & *tranquillitate* animi fruebantur, *longævis* annumerarunt *vid. Lucianus Lib. Macrob. p. 827.* & *Voſſius lib. de idololatria gentium p. 910.* ait: *videmus Parmenidem & alios naturæ admiratores ad longam perveniſſe vitam:* & *Rolfinckius medicin. Conſult. lib. 5. conſult. 6. p. 597. 802.* de veteribus refert, quod *ab anima medicinas dependere judicaverint* & *Zacut. Luſitanus Med Princ. Hiſt. Lib. 6. hiſt. 17. qu. 8. p. 962.* profitetur: *labor moderatus mentis, vitam producit*; ſeorſim de incaſtitate eloquitur: *effuſa ſeminis copia, naturæ ac cœteris membris eſt pernicioſa: hinc ſalacia animalia citius in ſenectutem labuntur, quod ſicciora ſint; quo fit ut mulus aſino vivacior, & paſſeres mares brevioris vitæ ſint, femellis: conf. Cælius Rhodigin. lib. 20. c. ult. Bartholinus Cent. 5. hiſt. 18. p. 49.* ita ſcribit; *quantum huc conferat, animus ſemper ſibi ſimilis* (loquitur de *mediis* ad *longævitatem* procurandam proficuis) *nulliſque paſſionibus in tranſverſum raptus, effari nequeo; nolo veterum ſtoicorum exemplis me tueri; avus meus maternus D. Thomaſ Finckius annum ingreſſus erat 96. hac animi conſtantia, & diutius vitam in ſenio vegetam protraxiſſet, ni febris filum abrupiſſet: Pechlinus Lib. 3. obſervationem 6.* ita exorditur; *quemadmodum corpus valetudinarium animo ſæpe impertit contagium, ita & animi labores, corpus quoque infirmant, in unis tamen, quam aliis manifeſtiori damno;* per integram hancce obſervationem teſtatur, quomodo *intenſior* animi occupatio, varias afflictiones *morboſas* cauſetur: hinc *p. 404.* dicit: *hinc ergo videas poſt navatam ingenii operam & continuantam aliquot horarum meditationem, alios Sudoribus, Diarrhœis alios plerosque autem laſſitudine & membrorum imbecillitate divexari; retulit mihi vir magno ingenio, ſed lento ac difficili, quoties ſubtili perplexæque quæſtioni ſolvendæ animum moroſe applicat, variato & agitato in omnem partem conſilio, ſic tandem enervari, ut deliquium animi experiatur &c.* cujus obſervationis varia *alia* exempla aliasque

asque ibidem proponit hiſtorias: hanc ob cauſam multi medici non tantum *corporis*, ſed & *animi* cognitionem in *medicina* commendarunt; velut *Heurnius in inſtit. medic.* dicit: *medicum non in ſolius corporis, ſed hominis, qui ex anima & corpore conſtat cognitione verſari*: & *Tyrius Platonicus medicum illum laudat, qui non tantum corporis mala herbis tollere poteſt, ſed qui per Philoſophiæ præcepta capidi tales animi, quas ſtoici pathemata nominant, curant: præterea Rolſinckius in Medi-Conſultat. Lib. 4. conſul. 5. p. 445.* teſtatur, *quod animi immoderati vires proſternant*: peculiari diſſerti *Celeb. Stahlius paſſiones animi corpus varie alterantes* explicavit: allegamus etiam hoc loco *Jæpſeri manuduct. ad vitam long. Part. I. c. 12. p. 149.* confeſſionem: *quisquis igitur longiorem amaverit vitam, & diuturniore corporis ſanitate gaudere voluerit, is diligentem navabit operam, ut animum a violentis paſſionibus averruncet* & porro: *felices igitur & plerumque ſunt longævi, qui procul a curis, uſuris, negotiis atque nocivis ſeculi tempeſtatibus, mentem ſuam abſtrahunt, quoniam eorum moleſtia, ſpiritus attenuantur & dies abbreviantur*: huc referimus verba *Excell. D.D. Hoffmanni e diſſert. de animo Sanitatis & morborum fabro §. 6. p. 9. eſt igitur mens tranquilla ſummum hominis in hac vita bonum, utpote in tali ſtatu poſita, non tantum corpori, ſed ratiocinationi quam utiliſſime inſervit: Si enim placida & tranquilla eſt, circa motus quoque vitales & excretorios in corpore omnia ſunt pacata & tranquilla*; huc referimus, quæ *Blegny Zodiac. Gallic. An. quinto Menſe Decembr. p. 245.* eloquitur: *qui paſſionibus animi habenas laxat, miſeriæ & languoribus perpetuo patet: nunquam integra valetudine frui illi conceſſum eſt: conſ. Excell. D. Prof. Dethardingii Specimen manuductionis ad vitam longam, quod tradit regulas generales ci[illegible] animi affectus hominibus obſervandas: conſ.* etiam *Blaſii Alvarez de Mirovat Conſervatio ſanitatis corporis ad bonam diætam & longiorem vitam. Joh. Valverdi de Hamuſco*

ſco Lib. de animi & corporis ſanitate tuenda: hiſce teſtimoniis adhuc multa *alia, directe* & *indirecte, poſitive* & ex *oppoſito* probantia, addi poſſent, quæ *confirmant*, quod ad *ſanitatem* tuendam & *vitam prolongandam animi moderamen abſolute neceſſarium* & *fructuoſum* exiſtat.

§. III.

In præſenti explicatione, qua *animi* moderamen ad *Longævitatem* promovendam commendamus, *prius* quædam *difficultates* removendæ ſunt, quæ *præſentem* obſervationem *obſcurare* & confundere poſſunt: ante omnia itaque *jus animæ* in *corpus* defendimus, neque *ſpirituum materialium* miniſterio indigemus, quoniam actio ſpiritus *immaterialis*, videlicet *animæ*, in *corpus* certa eſt & viciſſim *ſuppoſita* actio *animæ mediantibus* ſpiritibus *materialibus* in corpus, ex *commento* illo atque *errore*, quod *immateriale* & *materiale* non immediate conveniant, fluit, ſiquidem tantis *ſuppoſitionibus* & inutilibus *ambagibus* opus minime eſt: deinde a *potentia* & *efficacia* fluidi *ætherei* in *macrocosmicis* proceſſibus, ad neceſſitatem & exiſtentiam ſpirituum materialium in *microcoſmicis* operationibus (qui *animam* propterea cum *corpore* connectere dicuntur,) non valet *conſequentia*: unde facile quisquam *levitatem*, nullitatem & infirmitatem harum, ſic dictarum, rationum & demonſtrationum perſpiciet: quare datur *actio* in *corpus*, quia corp9 indiget *motu*: motus corporis non ſunt *confuſi*, ſed certis *ſcopis* & *finibus* accommodati; ſpiritus *materiales* & *corpus* per ſe ad *exactos* fines movere *haud* poſſunt, neq; unquam ſolide, rationaliter & ſufficienter demonſtratum eſt, quod *nudæ* cauſæ *materiales* hiſce motibus perficiendis quadrent, ſed *communis* confeſſio *omnium* oculis, ſubjecta eſt, quod *ſpecialiſſimæ* rationes, corporis *vires*, harumque virium *relationes* exhaurientes & declarantes, *deficiant*; hanc ob rem pura *ſimplici* veritate, citra tergiverſationem & falſam ſuppoſitionem atque aſſimilationem, *infallibile* factum allegamus, quod

anima corpus externum & *internum* & *intrinſecus* quidem *nobiliſſima* organa videlicet *cor, pulmones, diaphragma, ventriculum, inteſtina* &c. moveat: deinde *infallibilis* adſertio & *veritas* facti eſt, quod *corpus* ab animi *pathematibus* & *immoderatis* animæ actionibus *eminenter* & *vehementer* alteretur; ubi non modo in *externo* corporis ſyſtemate, ſed etiam in *interna* œconomia corporis, *motus* & *ſpeciales* effectus *immutantur*, dum *vitales, animales* & *naturales* functiones evidentes alterationes ſubeunt, quæ propterea cum *animi pathematibus* cohærent: Si itaque anima *nullum* jus *directum* & *poſitivum* in *corpus* haberet, ſi *interni* motus *ſe-* & *excretorii*, nutritorii, præparatorii, mundificatorii ex nuda *materiali* poteſtate, qualitate & *neceſſitate* ſuccederent, ſane per *omnium æquorum* arbitrorum *ſanum* judicium & conſenſum *animi pathemata* & *immoderatæ* actiones nullas *alterationes* in œconomia *vitali* excitarent, quales tamen *actu* contingunt; quam ob rem plane *obſcura* eſt adſertio, quod anima *immodicis* ſuis actionibus corpus quidem *offendere* poſſit, *modicis* vero illud *defendere nequeat*, ob illam rationem decidendi, quia alterationes, ex *immoderatis* animæ actionibus venientes, *craſſe* obſervamus, *reliquas* vero a *moderata* animæ qualitate forte dependentes, non *craſſo ſimili* ſenſu contemplamur; quaſi illa *regula certa* eſſet; *quicquid* anima operatur *craſſis* modis & motibus demonſtratum dare debeat, neque in una actione *lenius, mitius* & *ſubtilius*, in alia *potentius*, impetuoſius & *craſſius* operari valeat: uti v. g. *ſuppreſſio* Salutarium evacuationum, a metu, angore, triſtitia, ſollicitudine, terrore, non cadit, in *modo fiendi*, in *craſſos* ſenſus, ergo *ſecundum talem* opinionem non proveniret a *prævio* animi pathemate: & ſi anima *immoderatis* actionibus ſuis *turbaret* & offenderet corpus, id ipſum *active* & *directe*, imo *immediate* perficere deberet: nam unde *cor* ſub *iracundia* fortius & omnes fibræ mortices *vegetius* moverentur, unde ſub *terrore* fibræ *rigide*

gide conſtringerentur &c. unde *tales alterationes* motuum in œconomia *vitali* obvii tam *exacte* cum *idea animæ*, immoderata actione operoſæ,convenirent? Si itaque *immoderatis* actionibus *anima corpus*, juxta aliorum ſtilum *turbare* poteſt, cur non *moderate* functionibus ſuis indulgens anima, reliquas corpus functiones in *ſanitatis* & vitæ emolumentum *adjuvare*, *ſublevare* & legitime adminiſtrare poſſit? (cur itaque tales decimant mentham, anethum & cuminum & graviora legis omittunt pro lubitu) præſumptio enim in poſteriori poſtulato, quod *craſſa* indicia *deficiant*, eſt *nulla:* quare poſito uno, alterum non *excluditur:* nam quia ex *immoderatis* animi actionibus craſſiores & *fortiores* commotiones proveniunt, ita a *moderatis*, moderatæ, *lenes* & tranquillæ dependent: hinc reſpectus & qualitates in cauſa *agente* & *actu* ſunt *proportionati* & convenientes: nam ſi ſub *moderamine* animi *vehementes* tales corporis alterationes & ſub *immoderata* animæ conditione motus *lenes* & placidi eſſent, denuo novum *confuſum* emergeret concluſum atque judicium: quare *remotis* hiſce obſtaculis facile *veritas* adferti inclareſcit, quod *moderamen* animi æque ad *ſanitatis firmitatem* & *vitæ durabilitatem*, ac *immoderata* illius diſpoſitio ad varias *offenſiones* ſanitati & vitæ *præjudicioſas* & pernicioſas contribuat; hinc ſicut cum *immorigera* animi qualitate *morbi* & *mors*, ita cum *morigera* ejusdem conditione *ſanitas* & *vita* connecti poſſunt; nam qui unum tantum *adſtruere*, alterum vero moroſe *abnegare* vult, ex *præjudicio* adeoque *erronee* judicat.

§. IV.

Per *moderamen* animi non *abſolutam abſtinentiam* ab omnibus *gravioribus* negotiis & *extraordinariis* occupationibus, neque *conſuetorum* morum *exquiſitiſſimam* exercitationem & *indulgentiam*, neque etiam vitam *luxus*, *gaudii*, *voluptatum* plenam, (unde dicunt ſich ein luſtig, freyes Ge-

müth

müth ſchaffen) intelligimus, *qualis* animi conditio non modo *molleſcit*, ſed velut *putreſcit*, pedetentim *langueſcit*, *corrumpit* & in œconomia *vitali* varios *defectus*, aut *erroneos* actus committit: ſi enim anima *rigoroſe* & *legali* ſollicito jugo *uni certo* motuum moralium *gradui* indulget, tunc perinde a *vero* tramite deflectit & tanto *immoderatius* dein *inſolita* accidentia proſequitur, quo magis priſtinæ *libertati* & *ſecuritati* operam dedit; neque enim in *moroſam* qualitatem *mores* convertendi; quæ *rigoroſa* animæ *coactio* iterum & *mentem* & *corporis* œconomiam lædit: neque affectus *ſimul* & *ſemel* vehementi conatu *coercendi*, ſupprimendi & ſubito in alias *extremitates* præcipitandi ſunt; inde enim iterum & mens & corpus *inique* afficiuntur & offenduntur: neque *abolitionem* affectuum animi per *hoc moderamen* intelligimus, ſicut *Lipſius in manuductione ad Philoſophiam Stoicam Lib. 3. diſſert. 7. paradox. 5. p. 151.* de Stoicis recenſet, quod *ſapientem imperturbabilem* crediderint, ut *Lactantius* de illis *inſtitut. lib. 7. c. 14.* ſcribit: *affectus omnes quorum impulſu animus commovetur, ex homine tollunt* : & *D. Hieronymus adverſ. Pelag.* loquitur: *omnes affectus tolli poſſe, omnesque eorum fibras a Pythagora & Zenone Pelagianos hauſiſſe* ; & *Seneca ep. 96. & 85. ait : utrum ſatius ſit modicos habere affectus, an nullos, ſæpe quæſitum eſt: noſtri expellunt, Peripatetici temperant: Non diminutionem malorum in bono viro intelligo, ſed vacationem; nulla debent eſſe; non parva : Lipſius* contra l. c. profitetur; *Pythagoras, Plato, Ariſtoteles edixerunt, ſapientem modice affectibus tangi, non autem nullo modo tangi*: ſi itaque nullus homo ſine affectibus eſt, & in *tenerrima* mox ætate, terror, metus, pavor, gaudium, amor, ut & in probis & improbis hominibus affectus reperiuntur, tunc abſoluta affectuum privatio non exhaurit ſenſum & nervum *moderaminis* animi in *præſenti* tractatione: quam ob rem *moderamen* animi nobis eſt *temperata,*

perata,

perata, *placida*, *lenis tam conſuetarum mentis operationum & ordinariorum morum*, *quam affectuum patheticorum exercitatio*, *non vires animæ ſuperantium & excedentium*, *neque tenaci*, *diuturniori & impatienti gradu prædi torum*, *ſed facile & breviter tranſeuntium*; unde iterum mox anima ad quietem & *ordinarium* gradum & ſtatum actionum ſuarum revertitur, neque valde *perturbatur*, neque *enervatur*: ad hoc moderamen acquirendum tam *naturalia*, quam, & *præcipue* quidem, *ſupra naturalia* divina adminicula ſeligenda & comparanda ſunt: & quoniam inter *animam* & *corpus* eximia *harmonia* intercedit, ita *peculiares* gradus motuum *moralium* cum *vitalibus* facile conſentiunt: imo dum anima motuum moralium & vitalium una eademque cauſa *efficiens* eſt, (uti toties *demonſtratum* & hactenus *nunquam* enervatum eſt, quin hæc adſertio *indies magis* magisque a *prudentibus* ingeniis agnoſcatur & approbetur) ita facilis eſt concluſio, quod *qualitates* animæ in moralibus, facile proceſſibus motuum in vitalibus communicentur. Si itaque anima in *ſuperioribus* & nobilioribus ſuis actionibus moderate & placide procedit, tunc in *inferioribus* negotiis perinde temperate & ordinate operatur, quid? quod intervenientes *difficultates* paulo facilius ſuperare poteſt, dum per alias, *morales* videlicet, turbas & *diſtractiones* non impeditur; quare ſemper *periti* Medici *mala* formant præſagia, quando *arduus*, magnus, aut malignus morbus homines corripit, qui *immoderati* animi ſunt: anima itaque quæ *moderati* eſt animi, i. e. quæ *principaliores* ſuas functiones cum *moderamine* adminiſtrat, proceſſum *vitæ* & *ſanitatis moderate*, placide & fructuoſe format & continuat, *vires* eo pertinentes non *confundit* & dilapidat, ſed *juſto* gradu & ordine impendit; ut ita anima *moderata*, continens & tranquilla non modo œconomiam vitalem *non turbet*, ſed & *poſitive* ſublevet, *ordinate* adminiſtret

& *ſalutaribus* ſucceſſibus continuet: ob id *moderamen* animi cauſa *occaſionalis*, *moderata* anima vero cauſa *efficiens* eſt *Longævitatis* naturalis.

§. V.

Ex illis *cauſis* itaque Longævitatem *naturalem* promoventibus *ſingularem* attentionem & *æſtimationem* meretur conſtans, *regularis*, *ordinatus* & conveniens motus ad œconomiam *vitalem* ſpectans, qui *naturalibus*, *vitalibusque* præcipue functionibus ſeſe exſerit: quando itaque hæ operationes *juſte* procedunt, tunc ex hac parte *ſalva* manet *ſanitas*, ſalva etiam *vita*; nam ſub tali ſtatu *prædictarum* functionum & *fluidæ* & *ſolidæ* partes *congruis* qualitatibus, *longævitati* obtinendæ quadrantibus, inſtructæ permanent; & quamvis *plures* Longævitatis cauſæ concurrant, *hæc* tamen nominata eximiæ *dignitatis* eſt: quæcunque itaque *alia* cauſa has functiones *allevat*, in *congruo* ordine conſervat, imo proinde *qualificat*, quo aliis *impedimentis* ſupervenientibus efficaciter *reſiſtere* queant, illa perinde ad *Longævitatem* contribuit; hoc ipſum vero *anima moderata* efficit & moderamen animi promovet, unde *magna* utriusque eſt *vis* ad *Longævitatem* promovendum; quod *nunc* erit *demonſtrandum*. *Primo* itaque loco de *conſuetis* operationibus animæ indicandum erit, quod, ſi in iisdem *moderamen* ſervatur, ſanitati & vitæ magnum emolumentum accreſcat; nam ſi *anima ordinate*, *temperanter* & *tranquille*, aſt non ſegniter & torpide, *rationis*, *ratiocinationis*, *meditationis*, *deliberationis*, *dijudicationis*, *inventionis*, *imaginationis*, *comparationis*, *inquiſitionis*, *ſcrutationis*, *ſelectus*, *diſcretionis*, *diſtributionis*, *recordationis*, *memoriæ*, *æſtimationis*, *voluntatisque* exercitium peragit, tunc non modo in *legitimo* quodam ordine permanet, ſed & *ordinatæ* ſingularum ſuarum actionum adminiſtrationi adſueſcit, ut perinde in vitali œconomia juſtum ordinem ſervet; id quod eximium emolumentum ſanita-

tis

tis & vitæ eſt; quamprimum enim functiones, vitæ proſpicientes, in *ataxiam* quandam ruunt, tunc ſanitas & vita *inſtabiles* & *caducæ* redduntur: quo *tranquillius* prædictæ operationes animæ ſuccedunt, eo *moderatior* eſt *motus ſanguinis*, ut ratione *gradus* & *temporis* temperatum circuitum ſervet, hinc in congrua ſua *craſi* & *temperie*, juſta *fluiditate* & conſiſtentia, debito & ſalubri *calore naturali* ſanguis permanet; quæ ſingula ex parte *talia* ſubſidia ſunt, qualia ſanitati & vitæ *multam opem* ferunt, ex *oppoſito* quidem inclareſcit, quod *fortiores* & operoſiores prædictarum functionum adminiſtrationes ſanguinis *fortiorem* motum concitent, ut *caput* æſtuet, rubeſcat, aliquando doleat, *præcordia* angantur, oppleantur & onerentur, *vaſa* inturgeſcant, & *inimicus orgaſticus* quidam motus concitetur, interdum cordis *palpitatio* invitetur, *phlogoſis*, anguſtia præcordialis, vertiginoſa perturbatio &c. provocetur, ut *Pechlinus loc. ſup. cit.* demonſtratum & variis exemplis *probatum* obtulit: & quamvis in *torpidis* ingeniis & naturis *frigidis* aliquando *intenſior* talis animi operatio *proficua* ſit, tamen, ſi & hæc in ejusmodi ſubjectis *frequentior* fuerit, *enervationem* poſt ſe trahit, ut nihilominus dein *moderamine* opus ſit; in *calidioris* temperamenti ſubjectis vero facile hactenus indicatas *anomalias* cauſatur, in *melancholicis* etiam hominibus perinde multas ante recenſitarum afflictionum conciliat & excitat; qui poſteriores tanto magis *moderamine* & ſatis quidem *exacto* indigent: non minus frequentius evenit, ut homines, qui *ſub* ciborum ingeſtione & *poſt* illam *arduis*, ſollicitis & profundis *meditationibus* inhærent, valde negotium *concoctionis* turbent, quæ non modo *difficulter* procedit, ſed & *chylum crudum* & craſſum producit, *cruditates* ventriculi colligit, ordinariam *alvi excretionem* perturbatam & *impeditam* pediſſequam habet; hinc oriuntur moleſtæ *flatulentiæ* & ſucceſſivæ *ventriculi* & *inteſtinorum* enervationes; qualis alteratio ſanitati & vitæ val-

 de

de *præjudicat:* Si porro quidam homines negotioſo & *operoſo* animi labore *diu noctuque* occupati ſunt, & lucubrationibus arduis *nocturnis* inhærent, tunc non modo *vires animi* delaſſantur, ſed & *vigor naturæ* in *vitali* œconomia pervertitur & enervatur; inde legitimus humorum *progreſſus* turbatur, *appetitus* deſtruitur, *concoctio* confunditur, *ſe - & excretoriæ* functiones offenduntur, ut nunc *defective*, nunc *exceſſive*, nunc *inordinate* procedant; *ſomnus* redditur confuſus & perverſis *phantaſiis* turbatus, inde *tota* œconomia *vitalis* alteratur, ſanitas læditur, & vita animalis abbreviatur; quicunque ultra *individuales* ſuas vires haſce *ordinarias* mentis operationes intendunt, illi ſenſibiliter ſe *enervant*, ut non modo *animus langueſcat* & imbellicior evadat, quo minus impoſterum *ordinario* gradu functionibus *conſuetis* ſatisfacere queat, ſed & *vires* in *vita animali* applicandæ *torpeſcunt*, ut omnes functiones *naturales* & *vitales inſufficienter*, adeoque cum *præjudicio* ſanitatis & vitæ procedant; quicunque porro *uno* tempore *vires* animi *fortiter* & ſtrenue exercent, mox *alio* tempore *ſegniter*, negligenter & laxe adplicant, illi non modo *moralem* ſuam capacitatem *confundunt*, ſed & ob hanc perverſionem varias *ataxias* in œconomia *vitali* experiuntur: ita etiam *infantes* haud longævitatem aſſequuntur, qui *præmaturo præclaro* animo præditi ſunt, hasque *celebriores* animi dotes & vires *præmature operoſius* adminiſtrant & applicant; hinc Cato *Cenſorinus* dixit: *ſenilis juventus, præmaturæ mortis ſignum eſt & Seneca* eloquitur *in Conſolat. ad Marciam, ingenia quo illuſtriora, eo breviora: conf.* pluribus *D. D. Præſidis Medicina Theologica diſp. Memento mori § 9. p. 352. ſeq.* Quicunque etiam homines uni operationi mentis *nimium* exercendæ incumbunt, *alteri minus*, velut *memoriæ*, *ingenio*, *judicio*, illi *vires* ipſas *mentis* confundunt, & ſimul in *corporis* œcono-

conomia varias *afflictiones* ſanitati & vitæ *inimicas* experiuntur: v. g. qui ſtrenue & operoſe *memoriam* adhibent, die ſtarck und viel memoriren, *prævaturos* vertiginoſos, apoplecticos, paralyticos ſoporoſos &c. morbos convocant: qui *intricatis calculationibus* adminiſtrandis *ſtrenuam* operam dant, *ſimiles* ſibi accerſunt morbos & vitæ *brevitatem* ſibi conciliant, ſie rechnen ſich bald zu Tod: & ita *acri* judicio præditi, *nimium* hunc actum exercentes, *citius* ſuccumbunt: ex ſingulis hiſce exemplis & demonſtrationibus facile inclareſcit, quanto *moderamine* opus ſit in exercitio *ordinariarum* mentis operationum, ne corpus in *vigore* & firmitate ſua lædatur, quod *moderamen* propterea, ad *Longævitatem* non parum contribuit.

§. VI.

Hoc *moderamen* ita comparatum ſit, ne *ordinaria* animæ vis *relaxetur*, aut mollius, negligentius, indulgentius & delicatius exerceatur; inde enim facile animus *torpori*, ignaviæ, faſtidio & negligentiæ *adſueſcit*, ut deinde *iisdem* qualitatibus *ignobilioribus*, videlicet *vitalibus* officiis adminiſtrandis proſpiciat, qualibus in *nobilioribus*, videlicet moralibus, activa eſt: *calidiora* itaque ingenia adſueſcant *moderationi*, ſciantque, quod *moderata durent*: haud enim negotia *uno* expedienda ſunt *impetu*; & quod poteſt fieri per *pauca*, cum *moderamine* & non cum vehementia, ne fiat per plura: quam ob rem vires animæ *ſufficienter* quidem, aſt non *præcipitanter* & *vehementer*, ſed *temperanter* exerceantur: res *arduæ* non ſemper *uno* actu & *decurſu* perfici debent, ſed *alternata* repetitio *plus* proficit: neque etiam *mentis* operationes *diu noctuque* rigoroſe exerceantur, ſed labor plurimus *in die* adminiſtretur, *nox* vero quieti *animi* & *corporis* relinquatur: nihil enim *magis animi* vires labefactat, quam *diuturna* ardua *nocturna* laborioſa

occupatio: quicunque homines *ſenſibilioris* ſunt animi, illi præcipue *moderamini* ſtudeant, quoniam in iisdem *alterationes* & enervationes, a *nimia* animi exercitatione provenientes, *efficaciores* & *ominoſiores* exiſtunt, & in *animo* & *corpore* faciliorem & graviorem *offenſionem* cauſantur: omnis actio, quæ cum *impetu* ſuſcipitur & inchoatur, *haud bene* cedit, adeoque exoptato fine deſtituitur, dum vel in *exceſſum* ruit, vel *præmature* delinquit, quale deliquium iterum animo & corpori *perniciosum* eſt: quam ob rem quælibet operatio temperanter inchoanda & continuanda eſt, ſic *vires neceſſarias* ſemper *ſervat* anima, ut in ſingulis officiis adminiſtrandis & *vigore* reſolutionis & *valore* virium *præſtans* ſit, hac etiam ratione *vires* in *corporis* tutela *conſervantur*, neque dilapidantur: neque enim *rarum*, multo minus *inauditum* eſt, quod *intenſiores* operationes mentis & *animi* & *corporis* languorem & imbecillitatem excitaverint, man habe ſich recht müde ſtudirt, memorirt, gerechnet, ſpeculiret: id quod illi maxime ſciunt, qui ſubliniori Algebræ exercitio ſtrenuam operam dant: neque etiam rarum & inauditum eſt, quod talibus *operoſis* mentis laboribus *morbi* actuales, aut *adverſa* valetudo concilientur, inde illæ formulæ: man habe von dieſer und jener Arbeit, mühſamen Unterſuchung, ſchwehren rechnung &c. worüber man ſich den Kopff ſo ſehr angeſtrengt, dieße Schwachheit oder Kranckheit ſich zugezogen: unde iterum *relativum* & proportionatum *moderamen* neceſſarium & fructuoſum eſt: neque uno actu unave vice *plures* operationes mentis *ſtrenuæ* exercendæ ſunt; nam quando anima *ſimul* & *ſemel omnes* ſuas vires adminiſtrat, facile ſuccumbit & *extreme* delaſſatur, *neque* tam facile poſt tam *ſonticam* enervationem *omiſſas* vires *colligit*: ita qui *toto corpore* ſimul & ſemel *omnes* ſuas vires *ſtrenue* exercet, cito debilitatur & *grave* ſibi contrahit ſanitatis ac vitæ detrimen-

men-

mentum: hinc iterum *moderamine* opus eſt, quo *alternative* & *modice* tales *mentis* operationes adminiſtrentur: *moderamen* itaque tale animi concernit reſpectum *gradus*, *ordinis* & *temporis*; quare actio mentis *liberæ* & propenſa ſemper paulo *majori* gradu continuanda eſt, quam coacta: hinc quando aliquo tempore anima in *certis* mentis operationibus adminiſtrandis *tædioſa* eſt, tunc eodem tempore operatio talis non nimis *coacte* peragi debet, alias & *animum* offendit & *corpus* affligit: ob id *commodius* tempus ſeligendum eſt: quando in *corpore neceſſariæ* quædam functiones ſuccedere debent, v. g. *concoctionis*, *ſe* & *excretionis*, *nutritionis*, tunc *illo* tempore *vires* animæ in operationibus *mentalibus* non *nimium* adigendæ & urgendæ ſunt, alias hiſce functionibus graves *difficultates* ſuperveniunt: hinc *poſt* prandium & cœnam *operoſi* labores animi *nocent*: hinc in *profunda* nocte ſimiles *ſtrenuæ* operationis mentis negotium *ſecretorium* & *præparatorium* turbant; hinc etiam tales occupationes *laborioſæ* animæ in primis diei horis, interrumpunt *ſomnum*, turbant *ſanguificationem*, *lymphæ* depurationem & *præparationem* ad proximas neceſſarias & ſalutares *excretiones*: præterea tam *matutinis* horis defatigata anima, *reliquo* diei curſu & ſucceſſu *languet*, torpet & *debilis* comparet; hinc *concoctio* eſt difficilis, neceſſarius *corporis motus* eſt inſufficiens, *membra* reliqua corporis ſunt aggravata & torpida, indeque variæ *aliæ* ſanitati & vitæ *præjudicioſæ* alterationes, quibus præoccupandis & avertendis, adeoque *Longævitati* promovendæ, *animi moderamen* commendandum eſt, oriuntur.

§. VII.

Subinde cum *Moribus individualibus* modus & *moderamen* commendari & obſervari debet, quando quiſquam *ſanitatis* & *vitæ durationem* & integritatem deſiderat: quantus enim *conſenſus morum* cum œconomia *corpo-*

corporis ſit, ad *Galeni* obſervationem, qua demonſtravit, quod *mores* animi ſequantur *temperamentum corporis*, multi Medici in rationali & ſolida *Temperamentorum* doctrina explicarunt & confirmarunt: quare in *communi* proceſſu *æqualis* ordo in *moralibus* & *vitalibus* negotiis occurrit, quamvis ob hanc *harmoniam* aucti & *alterati mores* motus *vitales* immutare, & immutati motus vitales ad *morum* alterationem *cauſam* conferre queant ſoleantque: *communes* & conſueti itaque *Mores* haud ordinarie in *vehementes* affectus *patheticos* abeunt; quam ob rem in *Sanguinei* temperamenti hominibus occurrit *fugitiva* & *inconſtans* actionum adminiſtratio, quæ ſæpe ſalubri & *proſpero* decurſu & fine deſtituitur, quoniam *præcipitantia* & multiplex *variatio* variarum *confuſionum* cauſa evadit: *ejusmodi* mores exercentur etiam in talibus ſubjectis in animalibus, naturalibus & vitalibus negotiis, unde v. g. facile in *ſomnum* propendent, ſed ſæpe *inquietum* & multis *phantaſiis* turbatum & mutatum ſomnum experiuntur: in *appetitu* ſunt *immodici*, ſed valde *inſtabiles*, unde plurimas ollas primis deguſtant labris, *varia* eſculentorum ſubjecta ingerunt, eorumque *variationem* & *multiplicitatem* amant, eaque valde delectantur, adeoque *guloſi* & *edaces* ſunt, ſed eo ipſo non modo *concoctionem* ſæpe confundunt & impediunt, quin etiam ventriculum *enervant* & *coacervationi* tam *utilium*, quam *inutilium* humorum & ſubſtantiarum cauſam dant, unde œconomia *ſanitatis* & vitæ valde offenditur; & quoniam *digeſtionis* negotium cum *egeſtionis* functione conſentit, ita perinde varia *excretionum ſalutarium* impedimenta & offendicula irruunt, ut modo præter neceſſitatem & utilitatem *largius* & copioſius, modo *parcius* & impeditius, modo *inordinatius* ſuccedant: proinde *ejusdem* temperamenti homines in plurimis actionibus modum ſervare *difficulter* ſolent: hinc ſi *corporis* exercitationi operam

dant,

dant, facile *excedunt*, aut, ſi aliquando *quieti* indulgent, iterum facile & aliquoties *nimium*, quam par & *utile* eſt, eidem incumbunt, & *negligentiæ* ac *ignaviæ* diutius inhærent; quare uno tempore *commiſſionis*, alio *omiſſionis* errores perpetrant, quales *aberrationes* facile in œconomia *vitali* etiam occurrere ſolent: porro in rebus *ſecundis* ſunt nimium *ſecuri* & confidentes, adeoque *levioris* animi, leichtſinnig, in rebus *adverſis* nimium *abjecti* atque timidi, unde facile *periculoſa* accidentia admittunt, neque illa *mature* attendunt, nedum quidem profligant, quam ob rem *opportunitatem* agendi negligunt, hinc ſub præſentia *periculi* mox animum *dejiciunt*, & confuſas operationes opponunt; quales mores in vitalibus etiam proceſſibus obtingentes ſanitati & vitæ haud durabilitatem & *longitudinem* promittunt: *Sanguinei* ſuis moribus valde ſunt cupidi & ardentes, worauf ſie fallen, das wollen und müſſen ſie haben; unde iterum facile ſe præcipitant & immodicis ac exceſſivis negotiorum & finium proſecutionibus inhærent; ſimile quid in vitalibus officiis contingit, id quod vero valde & facile *ordinem* naturalem *lædit* & *ſalutares* ſucceſſus ac effectus pervertit: inclinant porro tales homines in utrumque *extremum*, ut *ſubitaneo* interdum *impetu* rem quampiam aggrediantur, ſed ſi illa *difficilis*, aut *periculoſa* eſt, confeſtim a *primo* impetuoſo conatu ceſſent, & in *languorem*, nec non *meticuloſam* & anxiam propoſiti finis proſecutionem delabantur, aut a ſemel cepto inſtituto ſubito iterum deſiſtant, adeoque *multa* inchoent, *pauca* perficiant; qui mores propterea non niſi *confuſiones* pariunt, & in *vitalibus* negotiis vitæ & ſanitati admodum *præjudicant:* in hiſce & reliquis *aliis moribus* hujus temperamenti hominum *moderamen animi* apprime neceſſarium eſt, ſi ſanitas firma & vita durabilis eſſe debet: Quod vero in œconomia vitali *ſimiles* mo-

D tuum

tuum gradus. *qualitates* & proceſſus occurrant, quales in *prædictis* moribus obtingere ſolent, id ſub *attenta* minusque *præjudicioſa* illorum obſervatione facile inclareſcet.

§. VIII.

Æqualis regula obſervandi *moderaminis* quoad animum cum moribus in *reliquis* temperamentis attendenda & commendanda eſt: & quoniam *Cholerici* omnes ſuas actiones *ſummo* fervore & *conſtanti* vehementia peragunt, *usque* dum ad *propoſitum* finem perveniunt, ita hiſce præcipue eximia *temperies* & *moderatio* ordinanda eſt, quoniam ob eandem animi *præcipitantiam* & *vehementiam* æque impetuoſe & *exceſſive* negotia, ad vitam *naturalem* pertinentia adminiſtrant: quare ob *acceleratam* concoctionem & chyli promotionem, in primas vias variæ inimicæ *impuritates* & *organis* & *maſſæ humorum* advehuntur; proinde ob *ſtrenuam evacuationum* adminiſtrationem facile utiles cum inutilibus ſubſtantiis excernuntur, aut ipſæ excretiones *nimium* perficiuntur; quales qualitates *ſanitati* & *vitæ* valde *pernicioſæ* exiſtunt; hi cholerici porro lubentius *ardua* moliuntur, eorumque tractationi immodico & *impatienti* gradu *ſummas* vires impendunt & applicant: inde vero iterum facile in *repentina* pericula incidunt: & talis modificatio & *imitatio* in *vitalibus* ægre perquam procedit & verius *detrimenta*, quam emolumenta parit, dum ipſum *corpus* & *materialia* adminicula, illius *integritatem* & *conſervationem* concernentia, tam *vehementes* methodos *difficulter*, ne quidem *ſæpe*, tanto minus *diu* tolerant, quin facilius præjudicioſæ enervationes, *organorum* relaxationes, *humorum* vero pernicioſæ *ſtagnationes* & *ſtaſes* &c. superveniant: dum etiam *tales homines* negotia ſua *præcipitanti* invaſione aggrediuntur, neque modica *ſucceſſiva* continuatioee ad fructuoſos *effectus* & decurſus promovent,

movent, ita facile bono & *integre* ſalutari ſcopo privantur: id quod etiam in *vitalibus* obtingit, dum loco boni *malus*, loco perfecti *imperfectus*, loco ſimplicis, *mixtus* & *complicatus* bonus & malus effectus hoc *præcipiti* modo procuratur: & ita etiam *ejusmodi* homines non *exiguo*, ſed *magno* effectu contenti ſunt, quam ob rem facile in *moralibus* æque ac *vitalibus* officiis in nocivum exceſſum delabuntur, ut cholerici ob hanc *immoderatam* indolem præ *reliquis* temperamentis haud ſæpe aut *facile* ad Longævitatem pertingant, quemadmodum viciſſim *ſanguinei longæviſſimi* vocantur (*conf. Zac. Luſit. Med. Princ. hiſt. lib. 2. hiſt. XI. p. 186.*) modo & hi *juſtum* animi *moderamen* obſervent: & ſimilis moderatio in *reliquis* cholericorum moribus ordinanda erit: *Melancholici* in moribus ſuis ſunt *tardi* & *tenaces*, utraque qualitas in motuum *vitalium* œconomia etiam occurrit, ſed quæ ipſa vario reſpectu *ordinem* ſalutarem violat & ſanitati ac vitæ præjudicat; *tarditas* enim *frugiferam* illam *opportunitatem*, temporis eximie lædit & dum *principiis* obſtare convenit, *ſerius* aliquando melancholicorum natura *ſapere* contendit: *tardior* itaque eſt illorum digeſtio, præparatio, egeſtio, humorum depuratio, circulatio &c. unde multiplicia oriuntur damna: *tenacitas* conjungit ſeſe variis motibus ad vitam & ſanitatem ſpectantibus: tenax utplurimum eſt *alvi* retentio & ſi aliquando *inſolitum* quid in œconomia *vitali* occurrit, communiter in hoc temperamento illud *pertinacia* infenſa comitatur; quare interdum *perverſi* actus *tenacius* inſiſtunt & difficulter *emendationem* admittunt: hinc horum hominum ominoſæ & utplurimum *præjudicioſæ conſuetudines* valde *tenaces* & communiter incorrigibiles ſunt: *melancholici* porro frequentius plane *ſingulares* easque *intricatas* ſibi ſeligunt methodos, quæ variis *difficultatibus* obnoxiæ ſunt, quales *perſonales* & *peculiares* inventiones in *vitalibus* æque

corpus admodum afficiunt & *ſalutarem* ſcopum ſub multiplici *ambiguitate* impetrant: præterea melancholici *præfixos* fines cum multa pectoris *occluſione* i. e. taciturnitate & *clandeſtina* modificatione proſequuntur, donec tandem *ſimul & ſemel* erumpant, ita *clandeſtinæ* tales actiones in œconomia *vitali* ſæpe valde *præjudicioſæ* ſunt, quæ ſi ſanitati & vitæ neque *ſpecie*, neque *tempore*, neque gradu, neque *loco* &c. congruæ ſunt, poſt clandeſtinos tales *conatus* & apparatus in *ultima* ſua eruptione *emendari* ægerrime poſſunt, adeoque vitæ *durationi* valde *præjudicant*; in ejusmodi *moribus* itaque *Melancholicorum* & adhuc aliis *Moderamine* opus eſt, ne motus ad ſanitatem & vitam *ſublevandam* & confirmandam neceſſarii, *perverſe* ſuccedant: Et ita denique peculiaris moderatio in *Phlegmaticis* neceſſaria exiſtit, in quibus, dum mores in *defectu* peccant, ita e *torpore*, *negligentia*, *ſegnitie*, *adverſitate*, *incurioſitate*, *tarditate*, *confuſione*, *inconſtantia*, *inopportunitate*, *inconſiderantia*, *ſtupiditate*, &c. moraliter præcipue in *meliores* qualitates promovendi, & ſi in *vitalibus* occurrunt æque *corrigendi* ſunt, quo *modus* & *gradus* talium actionum *ſalubritati* reſpondeat, hac itaque ratione *moderamen* ſemper *accommodatum* eſſe debet *ſpecialibus* talibus & peculiaribus circumſtantiis: ubi iterum brevibus indicamus, quod tales modi & gradus actionum, quales in diverſis *temperamentis* in *moralibus* occurrunt, æque in *vitalibus* negotiis occurrant, modo hi ſine præjudiciis primo in *veritate* facti agnoſcantur, ita facile dein veritas etiam cauſæ inclareſcet; ubi *fruſtraneus* erit conatus, talem actionum *convenientiam* ex fragili, ſterili, omni ſolido fundamento deſtituta & nihil cohærente, ſed ex omnibus ſpeculationum & imaginationum angulis corraſa *neceſſitate* virium, figurationum, & conformationum *materiarum* effari & enarrare, aut *obſcuro* concludendi modo aſſeverare,

quod

quod diſtincti *motuum gradus* in corpore obtingentes tales *mores* & inclinationes *efficiant*, aut *active* provocent, hocque modo contra omnem *ſobriam* philoſophandi rationem adſtruatur, quod cogitationes & *ideales animæ* operationes, nec non diſcretæ *rationales* æſtimationes & concluſiones *a corpore* formentur; ex quo falſo adſerto multiplices aliæ *perverſiſſimæ* ſententiæ profluunt, ut propterea hæc *morum* & *motuum vitalium* convenientia aliter demonſtranda & agnoſcenda ſit.

§. IX.

Poſt Morum ſuccinctam annotationem etiam *Conſuetudinis* rationem habemus, quam certo reſpectu *Moribus* annumeramus, dum videlicet *anima* ex *frequentiori* alicujus actus repetitione & *exercitatione* in tantam *habilitatem* devenit, ut *cito* & *expedite* etiam *citra* neceſſitatem urgentem, imo ſine peculiari *ad* & *intentione reflexiva* & repræſentativa actum quendam perficiat: quare *primario* conſuetudo in certi motus exercitio conſiſtit, quod corpus *non urget*, neque *efficit*, licet peculiari *flexilitatis* & mobilitatis qualitate *certo modo* invitet: & ſicut Conſuetudo in *agendo* præcipue occupata eſt, ita alia in *patiendo* occurrit, in qua *poſteriori* anima ex *frequenti* alicujus ſubjecti uſu & *admiſſione* corpus ſubito ita qualificat, *motibusque aliis* inſtruit, quo *minus* tale ſubjectum *offenſionem* quandam parare poſſit, teſtimonio *vitrivororum*, *opium*, *tabacum*, &c. devorantium, aut *adverſos* & ſic dictos *virulentos* halitus excipientium & *perferentium*: quare *Ariſtoteles* hanc conſuetudinem definit: quod ſit *habitus ex frequenti actione ſive paſſione impreſſus, propter quem promptius & diutius & cum delectatione operamur & patimur lib. 21. probl. 14. conf. Galenus de Conſuetud. c. 2. & 3. Valeſius Controverſ. lib. 8. c. 5. Chriſtoph. a Vega lib. art. med. Sect. 2. Valleriola loc. com. lib. 1. c. 6.* & ita Conſuetudinem *alteram* vocant *natu-*

ram, (cum *formalis* illius ratio in *motuum* ſingulorum, modo *animalium*, modo *naturalium*, modo *vitalium* exercitio conſiſtat:) *conf. Galenus de temperam. lib. 2. c. 4. de ſimpl. facult. lib. 3. c. 15. de motu muſc. c. 7. de offic. med. com. 3. teſt. 20. A. N. C. dec. 2. an. 10. app. p. 1. ſeq.* hanc ob rem *Galenus lib. 2. de Conſuet.* dicit: *habet conſuetudo præcipuam in medicina vim, ita ut a Clariſſimis Medicis natura adventitia nuncupetur, conf. Caſp. Rejeſ. Camp. Elyſ. quæſt. jucund. qv. 93. Riedlinus Lin. Medic. An. 1. Menſ. Aug. obſ. 13. p. 244. Roder. a Caſtro in Medico Politico Lib. 2. cap. 13.* ſub tit. *num conſuetudinis in curatione ratio habenda ſit vid. Magnimin. Regim. Sanit. Part. 4. c. 5. Bohnius de off. med. dupl. P. 1. c. 4. p. 78. 79. Zac. Luſit. Med. Princ. Hiſt. lib. 6. hiſt. 18. p. 963. Franckenau Sat. Med. 18. p. 393. §. 97.* Conſuetudo itaque quæ in operando *nimis fortis* eſt, licet circa *bonam* cauſam & rem nonnunquam verſetur, etiam fortitudine & *vehementia* ſua bonum ſucceſſum *pervertit*, & *bono* eventu *deſtituitur*; hinc *moderamine* opus habet, aut in *adverſa* occupatione *ſucceſſive* aboleri & *averti* debet, quia *a prava conſuetudine dimoveri difficillmum* eſt, ſecundum *Galenum de conſuet. & lib. 2. de Hipp. & Plat. decret. c. 3.* Si vero conſuetudo circa *pravum* negotium verſatur, tunc eadem æque per *initia moderanda* & pedetentim *abroganda* eſt: hinc *Roder. a Caſtro l. c. p. 102.* eloquitur: *magna eſt conſuetudinis vis tam in conſervatione ſanitatis, quam in morborum curatione: igitur temperata natura ſervari debet, intemperata mutari; ſic conſuetudo vitioſa mutanda eſt, non tamen tempore ſenectutis aut morbi, ſed in juventute & per ſanitatem, ſenſim quidem contraria adhibendo &c.* Quoniam itaque datur Conſuetudo quoad *cibum* durum aut mollem, *potum* multum aut parcum, *craſſum* aut tenuem, *frigidum* aut *calidum*, quoad *ſomnum*, quoad *evacuationes*, quoad *medicamenta* alterantia & evacuantia, quoad *aëris* temperiem & intemperiem, quoad *clima*, quoad *odores* fœtidos aut ſuaves, quoad *diæ-*

tam

tam ſimplicem aut lautam, quoad perferendos *fonticulos*, ſubjecta *venenoſa* &c. ita ubique *moderamini* conciliando opera danda eſt: nam quo *major* eſt conſuetudinis vis, eo facilius & *gravius* ab eadem ſanitas & vita *lædi* poteſt & ſolet: quicunque enim *bonæ* cœteroquin conſuetudini *nimium* indulgent, illi in *exceſſum* perniciosum ruunt, & quamvis plebeja cognita ſit adſertio, man könne des Guten nicht zu viel thun, (aut *ſuperflua non nocere* ſec. *L.17. Cod. de Teſtam.*) tamen omnis actio, quæ nimis frequenter ſuſcipitur, varias qualitates *contrarias* facile aſſumit, per quas ſalutaris & fructuoſus illius ſcopus & eventus corruit & eviteſcit; *omne nimium naturæ inimicum* dixit: *Hipp. Sect. 2. aphor. 51.* & dum *multiplices* conſuetudines in homine etiam *ſano* occurrunt, omni ſubinde ſtudio invigilandum eſt, ne *talis* conſuetudo *ſanitatem* immutet & vitæ hujusque *durationi præjudicioſa* evadat: ita v. g. quam facile ſub *diæta* multi homines appetitui *largioris* potus adſueſcunt, aut potus *ſpirituoſi &c.* unde facile natura *enervatur*, concoctio in *deterius* alteratur, *humores* inique mutantur &c. inde porro fit, ut multi homines tandem *adeo* ex potu *largiori* ejusque *adſuetudine debilitentur*, quo minus impoſterum vel *modicum* potum citra *animi* & *corporis* damnum perferre queant: aut quando ex potus *ſpirituoſioris* conſueto uſu, tandem ſemper *imbecillitates* ventriculi ſentiunt, quas cum *continua* talium potulentorum ingeſtione corrigere malunt, inde vero citius *morbis* & *breviori* vitæ determinationi ſubjiciuntur: quam ob rem ex breviſſima hac demonſtratione inclareſcit, quantæ dignitatis, neceſſitatis & utilitatis ſit *moderamen animi* quoad *conſuetudinem* in promotione naturali *Longævitatis*.

§. X.

Præcipuum porro *moderamen* animi commendandum eſt quoad *Affectus patheticos* ſive *animi pathemata*, quæ per *commune* ſuffragium & per multa *ſenſualia*

lia teſtimonia *corpus* valde commovent & afficiunt: ex hiſce vero quædam *amicabiliora* & gratioſiora eſſe videntur, velut *gaudium*, *amor* moderatus, neque inſanus, honeſtum & æquum *deſiderium*, *confidentia* &c. qui affectus *omnibus* hominibus *utiles* eſſe poſſiunt: interea etiam ſervandus eſt modus, & ſtudendum eſt *moderamini*, quoniam dabilis etiam eſt circa illos *exceſſus*, *perverſus* & confuſus *ſucceſſus*, nec non *imperfectus* & deficiens *proceſſus*; quoniam vero hi affectus, legitimo & convenienti ſuo decurſu & *animo* & *corpori* proſunt, ita *declinationes* illorum utrique *inimicæ*, adeoque etiam ſanitati & Longævitati contrariæ ſunt: *moderamen* etiam quoad *hoſce* affectus *diſcrepat* quoad *temperamenta*; nam dum in eosdem alias valde inclinant *Sanguinei* homines, ita iidem quoad eosdem *facilius* aberrare & *excedere* ſolent, quibus propterea circa illos *exquiſitior* moderatio commendanda eſt: in aliis viciſſim temperamentis, quibus illi affectus *familiares haud* ſunt, utpote in hominibus *Melancholicis* & *Phlegmaticis*, illi affectus movendi ſunt, & *hac ratione* in moderamen duci debent, quod *hiſce* ſubjectis conforme eſt; hac etenim excitatione non modo *abjectus* & *torpidus* animus erigitur, quo *principaliores* ſuas operationes paulo *alacrius* exerceat, ſed & quo hæc activitas & *vivacitas* in œconomiam *corporis* vitalem redundet, adeoque functiones, vitæ *longæ* quadrantes, vegetius procedant; quam ob rem prædicti animi affectus non modo *integram*, ſed & *vacillantem* & *deſtructam* ſanitatem, juſto moderamine exerciti *ſublevare* & reparare, inſuperque vitæ *longitudinem* adjuvare ſolent: etenim ſub tali ſtatu motus in genere ſunt *vegeti*, expediti, vigoroſi, adeoque in *omnibus* actionibus *alacres*, ſeorſim vero ſub *tanta* animi erectione *ſomnus* eſt placidus, *appetitus* bonus, *virium* præſtantia vivax, *concoctio* facilis, *ſe-* & *excretio* prompta, ſufficiens, conſtans, motus *ſangui-*

nis

nis efficax, aſſiduus, facilis & vegetus, *ſanguificatio* prompta, *nutritio* expedita, aliorumque *ſpecialium* adverſorum & *inimicorum* ſubjectorum *remotio* laborioſa & fructuoſa; & hi ſunt fructus, tam *moderati*, ex parte admodum *contenti* & tranquilli, bonaque *ſpe* erecti animi, ut in vernaculum *proverbium* abierit judicium de *ſano* & *vivaci* homine, es gehe ihm nach ſeines Hertzens Freude, Luſt und Vergnügen, habe vor nichts zu ſorgen, und lebe ohne paſſion: Quo loco reminiſcimur illius affectus *Amoris*, qui cum *carnali* libidine conjunctus eſt, de quo dicunt quod longævitati *contrarius* exiſtat, unde quæſtio illa decidenda venit, *an Venus noxia evadat*, quam inter alios erudite *Rejeſius qu. 46.* ventilavit: aſt quoniam hæc conſideratio *peculiarem* diſquiſitionem meretur, *ſuccincta* dijudicatione, etiam in hoc perquam potenti affectu *ſingularem* commendamus animi moderationem: *Caſtitas* & puritas animi atque corporis etiam per *naturales* rationes *longam* vitam promittit: viciſſim *immoderatus* veneris uſus, hebetat *animum*, enervat *corpus*, abbreviat *vitam*: hinc *juvenes* in thoro *immoderati*, facile *ſeneſcunt*, & *ſenes* in *novo* thoro *immodice* operantes cito *langueſcunt*, imo *brevi* ſuccumbunt: *Caſtitati* vero animi & corporis inhærere, haud tam *enormia* damna affert, uti ſæpe fingitur, modo reliqua ex *diæta* & *vitæ genere* provenientia *congrua* adminicula conferantur & convenienter adhibeantur; ſi enim animus *libidine ardet* & concupiſcentia illa *immoderato* & *coacto* affectu ſupprimitur, tunc venus *ſuppreſſa* nocet, hinc in naturali etiam via *moderamen animi* inquirendum & impetrandum eſt, ne *interna* cupiditas & libido *corpus*, *motusve* ad hoc negotium ſpectantes, *inflammet*, adeoque illa horrida *nocumenta* afferat: quam ob rem veteres medici *veneris* uſum præcipue *frigidis* naturis commendarunt, imprimis non valde *debilibus*: ſicut de *uſu* & *abuſu*, damno & commodo hujus affectus etiam egit *Zac. Luſit. M. P. H. Lib. 3. hiſt. 9. p.*

E *469.*

469. 471. conf. Schurigius in Spermatologia. huc *Celſi* quadrat judicium: *Concubitus neque nimis pertimeſcendus, neque nimis concupiſcendus; frequens corpus diſſolvit; rarus excitat.* Si itaque animus in bona *continentia* & moderamine ſervatur, ſi etiam *diæta temperata* conjungitur, tunc genituræ aut *liquoris ſeminalis* ſecretio & collectio *tantum non* nocet, quantum interdum *præſumitur*, aut obſervatur: de reliquo *liberalior* & frequentior ſeminis profuſio etiam ipſum animum & *caput* hebetat, quod teſtantur *Marſilius Ficinus lib. de vita ſana. Tiraquellus lib. 15. leg. connub. gloſſ. 1. Ariſtoteles de gen. anim. lib. 1. c. 13. & lib. 6. Ethic. c. 5. Schenckius lib. 4. de genitalib. maſcul. obſ. ult.* quare conſervatio *Caſtitatis* & *moderamen* in libidine admodum proficit; quemadmodum alias hic affectus totum hominem, *animam* videlicet & *corpus*, & hujus quidem *fluidas & ſolidas* partes valde afficit: *phlegmaticis* interim ſubjectis hic affectus *juſto ordine* exercitus, interdum ſingularis *medicina* eſt.

§. XI.

Reliquos affectus animi quod attinet, tunc illi *potentius ex parte, nonnulli* illorum etiam ſatis *efficaciter* corpus afficiunt; non quidem nobis ſermo eſt, de *inopinatis* & *inſolitis* adeoque *rarioribus ſalutaribus* effectibus, qui ab *ejusmodi* pathematibus animi provenerunt, ſed de illa efficacia, quæ frequens & *communis* eſt: quemadmodum vero per ejusmodi affectus *animus* valde *confunditur*, ita ſimilis gravis perturbatio illis motibus communicatur, qui corporis directorio inſerviunt: quando itaque functiones, *conſervationi* corporis proſpicientes, ſæpe fortiter in *ordine*, *gradu*, *modo*, *tempore* &c. offenduntur, tunc ſanitati & vitæ inde *nullum* adjumentum accedit: *potentiſſimus* omnium affectuum animi eſt *Jra*, qui ſubito & vehementer *totum* corpus quoad *fluidas* & *ſolidas* partes commovet; hinc ſingulæ *fibræ motrices* inſolito & *forti* motu *ſtrictorio*, ſed *alternante* relaxatorio inſtruuntur, *ſanguis* proinde ſtrenue, *rapide* & potenter *im-*

pelli-

pellitur, unde fervidior & *æſtuoſior* redditur, hinc *ſerum acre* & *ſubtile majori* copia generatur, & *fortiori* gradu commovetur, unde major ſanguini *orgaſtica* inturgeſcentia conciliatur, *ſenſibiles* vero membranoſæ nerveæ partes hoc ſero acri largius imprægnantur & ſubinde gravius *irritantur*, ſanguis ſub hoc *vehementi* impulſu facile *anguſtas* partes opplet, & in iisdem perniciosſam *ſtagnationem* aut *ſtaſim* aliquando ſubit, *bilis* notabili copia ſub *repentina* tali & *forti* omnium fibrarum motricium conſtrictione effunditur in *inteſtina*, quæ acriter *vellicat* & in iisdem eximios *ſpaſmos* cauſatur; non raro *magna* illius quantitas cito *intra humores* defertur, illico *ebullitiones* ſanguinis cauſatur, quando vero teneras & *nerveas* partes attingit tunc easdem valde *ſtimulat* & conſequenter in iisdem *ardores* & ſpaſticos dolores provocat: præterea omnes *reliquæ* functiones admodum exacerbantur, ut *excretiones* ordinariæ *præcipitentur*, aut *exceſſive* adminiſtrentur, ut *concoctio* acceleretur, adeoque *turbulenter* & inſufficienter perficiatur, ut *chylus* cum *bile* acerrime *confermenteſcat* & graviſſimis *cardialgiis*, *cholericis* paſſionibus, *ſpaſmis*, *convulſivis excretoriis* moliminibus &c. anſam præbeat; hæ & plures aliæ ſub hoc pathemate obtingentes alterationes ſanitati *confeſtim* & *manifeſte inimicæ* ſunt & vitæ *Longævitatem haud* concedunt; quare quoad hunc animi affectum *eximium* moderamen neceſſarium eſt: cum plurimi *iracundi* & indignabundi homines *præmatura* morte extinguantur; neque ab illis *regula* conſtituenda eſt, qui ſub *continua* iracundia vitam tranſigunt & qui quidem huic affectui *adſueti* ſunt, de quibus tamen haud *abſolute* adſeverari poteſt, quod ipſis hic affectus *nullum* damnum afferat & quod nihilominus illi *longinquam* vitam obtinere queant & ſoleant: unde ſi a *potiori* concluſio formanda eſt, tunc *plurimi* hoc affectu *mature* ſe jugulant: Alter præpotens & *vehemens* affectus eſt *Terror*, qui fortem

E 2 &

& præcocem fibrarum rigidam *conſtrictionem*, aliquandiu præter ordinem durantem, nec juſte cum *relaxatorio* motu *alternantem* infert, adeoque totum corpus occludit, ſanguinem in *interiores majores* vaſorum alveos reprimit, *largiori* copia ad cor vehit, ipſum cor vero perinde rigidius conſtringit, neceſſarias *excretiones* ſubito ſupprimit, *ſanguinem* huc illuc *conſtringit* & coercet, *omnesque* functiones vitæ & ſanitati inſervientes, *graviſſime* turbat, quare variis modis & effectibus hic affectus *Longævitati* præjudicat & *reſiſtit*: unde iterum homines, qui ſanitati & *vitæ* ſuæ firmitatem & *durabilitatem* optant, ſollicite ab hoc affectu *abſtinere* debent; tanto magis illi, qui *ſpecialibus ſalutaribus* excretionibus *ſeri* aut *ſanguinis* gaudent, quoniam hic affectus *repente* & *efficaciter* illas *pervertit*, aut cum eximio vitæ *diſpendio* ſupprimit, unde *accelerata* mors provocatur: imo exquiſita illa *moderatio* quoad *hunc* affectum commendanda eſt, quoniam homines, qui *interata* vice illo pathemate perculſi ſunt, mox in illum *habitum* incidunt, ut *nimis frequenter* & confeſtim ex *leviſſima* cauſa in *graviſſimum* terrorem delabantur, ſie werden euſerſt ſchreckhaft, & diu noctuque perpetua *animi inquietudine* & œconomiæ *vitalis* perturbatione affliguntur & *enervantur*: Porro *Timor*, *Angor*, *ſollicitudo*, *Triſtitia*, anxia cura, tales ſunt affectus, qui non modo in *genere* motuum *vigorem*, *gradum*, & *valorem cohibent* & ſupprimunt, ut propterea *defective* & *inſufficienter* procedant, ſed & qui multam *confuſionem*, titubationem, tergiverſationemque inferunt; hinc motus ſanguinis eſt *depreſſus*, *tardus*, *inordinatus*, *debilis*, unde variæ oppletiones, *ſtagnationes* & infarctus oriuntur, ipſa *craſis* & *conſiſtentia* ſanguinis in *deteriorem* qualitatem convertitur, *ſe-* & *excretiones ſegnius*, *impeditiusque* procedunt, aut plane *ſubſiſtunt*, variique *chronici* morboſi affectus irruunt, ut in *vernacula* exprimatur: man verkürtze ſein Leben

ben, oder freſſe ſein Leben ab mit Sorgen, Angſt, Kummer, und Furcht: id ipſum uberrimis exemplis & demonſtrationibus probari poſſet: illud interim hoc loco adhuc in memoriam revocare lubet, quod modo nominati affectus animi in *ſequiori* ſexu *menſium* negotio peſſimas remoras & *difficultates* injiciant, ut *chronicæ* & pertinaces illorum *obſtructiones* corripiant: *Odium* & *invidia* diu æque ac noctu *inquietam* reddunt animam, ſubinde *quaslibet* functiones, ad vitæ *prolongationem* pertinentes, *turbant*; ita ut ex externo torvo & moroſo vultu, nec non ex tabido corporis habitu ſæpe inclareſcat, *quantum* hic affectus *influxum* habeat, in proceſſum *vitæ naturalis*, unde proverbium innotuit: man könne vor Neid nicht gedeyhen. Neid und Mißgunſt freſſe ihn ſein Hertz ab, und mache ihn vor der Zeit gantz alt: ob id *moderamine* opus eſt & in *nonnullis* affectibus, ſi poſſibile, *plenaria* abolitione, ſi *Longævitas* promovenda; interim valde *fervidis* temperamentis interdum affectus *moderati timoris*, *curæ*, *triſtitiæ*, ſollicitudinis, & *frigidis* moderata *iracundia*, proficui exiſtunt; ubique vero iterum *moderamine* opus eſt, ne in *gradu*, *modo*, *tempore* &c. error committatur. Suffecerit hæc in *compendio* & ſuccincta commendatione propoſuiſſe, quamvis in *ſpecialiori* deductione & demonſtratione multa conciliari potuiſſent; ne vero aut utiles quasdam tractationes, alibi & ab aliis prolatas & ventilatas, repetamus, neve limites propoſiti transgrediamur, in præſenti explicatione ſubſiſtimus: DEO, Summo & Benigniſſimo omnium rerum moderatori, immenſas & humillimas gratias agimus, quod nobis in hoc labore Gratia ſua adeſſe, huncque ad proſperum exitum proſequi voluerit, quem devotiſſimis precibus flagitamus, quo alma ſua directione efficiat, ut omnes reliquos noſtros conatus ſalutaris & exoptatus amplectatur & tueatur ſucceſſus atque

F I N I S.

* * *

GEehrter Freund, da ſehn wir nun,
Was Fleiß, Verſtand, und Arbeit thun,
Und was ſie Dir vor Ehre bringen;
Dis iſt der Tag, an dem Du ſiegſt,
Und Dich nach ſaurer Müh vergnügſt:
Drum laß auch meine Muſe ſingen.
Sie will Dir heute dienſtbar ſeyn,
Und ſtellt ſich ungezwungen ein,
Den Ausbruch ihrer Luſt zu zeigen.
Du biſt ihr hold: ſie hat Dich lieb;
Sie fühlt der Regung zarten Trieb,
Und kan, und mag nicht ſtraffbar ſchweigen.

Sie merckt, daß ihr Hygea ſagt:
Mein Sachſe, der ſich munter wagt,
Gehört zu meinen beſten Söhnen:
Drum ſoll Alberti, den Du kennſt:
Und den Du groß, und weiſe nennſt,
Jhn jetzt in meinem Namen krönen.

D

O wahrlich! Freund, dis lockt den Geiſt
Der Dir ſo treu-verpflichtet heiſt,
Den Wunſch, zwar kurtz, doch gut zu machen.
Dein Ruhm ſey meiner Sehnſucht gleich:
So bleibſt Du ſtets an Palmen reich:
So muß Dein mildes Glücke wachen.

Dieſes ſchrieb aus Hochachtung für die Tugenden und Verdienſte des Herrn Candidaten deſſen ergebenſter Freund und Diener

Johann Victor Krauſe,
Von Halle aus dem Magdeburg.

So ſteig denn Edler Sachß, ſteig mit behertzten Muth
Auf den erhabnen Orth, wo ſonſt die Lehrer ſitzen,
Und zeige als ein Held, wie man der tollen Wuth,
So uns das Leben kürtzt, recht biethen ſoll die Spitzen.
Der Hohe Ehren-Lohn, ſo vor Dich längſt bereit,
Und den Du wohl verdient, der wird nunmehr dein eigen,
Mein Wunſch dabey iſt der: daß Du von Zeit zu Zeit
An Ehren, Ruhm und Glück, mögſt immer höher ſteigen.

Zu erlangter Doctor-Würde gratuliret ein treuer Freund

D. L. Horſt,
Bernburgico-Anhaltinus

EX meritis Summi tibi, Saxi, dantur honores;
Docti cum ſuperes Parnaſſi culmina celſa,
Cumque elegans ſpecimen, linquens, haud dare recuſes
Hallenſem Pindum, cunctorum ex ore vocaris
Doctor dignus, quem plaudentia vota ſequantur,
Gratulor ex animo tibi fido, gravis amice,
Et quo tu patrios muros ſub numine divum
Soſpes accedas, votis ex pectore miſſis
Sincero includo; Sic fiet, ut optima quæque
In patriis laribus ſibimet promittere poſſis.

Hiſce Dn. Doctorando abiturienti applaudebat & fauſta quæque apprecabatur

Joh. And. Krahmerus,
Magdeb.

QUam verum tritum: Tandem bona cauſa triumphat,
Exemplo firmas, Suavis amice Tuo.
Per varios etenim caſus variosque labores
Te Muſæ ſtudiis excolvere ſuis.
Nunc merito ſummi ſcandis faſtigia honoris,
Nunc merito doctus DOCTOR adeſſe potes.
Sis felix Medicus, fias Podalirius alter
Neſtoreos annos invalidi videant.
Non Syſiphi volvas Saxum, chariſſime Sachſi,
Nec quidquam medica plus queat arte malum.
Det Galenus opes, TE non felicior alter
Evadat, brevibus: Gratulor, opto, precor

Hiſce pauculis, Hn. D. Candidato, de Summo honoris in medicina gradu, animo gratulatur haut fucato

Joachimus Henricus Luhn,
S. S. Theol. Cultor.